

℞ Pul ligni Guaiaci ℥ iij.

Corticis

Salsæ añ. ℥ ij.

Castorei ℥ j.

Iuæ Arthriticæ ℥ iij.

Misc. & cum Mel. Ros. f. pil. xxxvj. plures paucioresve, pro magnitudine. Singulis vicibus duæ capiantur vel tres. Dosis sit ad ℥ j.

Victus sit mediocris, attenuans, in tota purgatione vel vtatur pro potu *Diat.* Hydromeli, vel decocto ex radicibus Silphii, vel Hyssopi decoctum cum modico mellis. Dum vero capiet decoctum, vtatur aqua illa, quæ secundo loco paratur ex ipsis recrementis.

Post hæc sibi sit in frequenti vsu Castoreum, succus Cyrenaicus deuoratus, aut Myrrha Troglodytica, magnitudine Fabæ. Ad eandem intentionem sunt etiam confectiones Magnæ, velut est Theriaca, Mythridaticum, Sal Theriacale, & id genus alia. Vt vero corpus continuo mundum detineatur, probamus, vt singulis 20. diebus aut singulo mense vtatur vel pil. ex Hiera cum Agarico, vel pil. Aggr. vel Mastichinis, vel aliis huiusmodi. Terebynthus quoque Cypri erit maxime accommodatus.

His omnibus diligens victus ratio est instituenda, quæ compar esse debet. Quare primum ab omni aëris importunitate cauere debet. Cibi sint optimi succi, & qui facile concoquantur. Vinum sit medicatum. Quare parabitur cum Ligno, Iua, Betonica, Stœchade, & aliis id genus. Somnus sit moderatus. Exercitium moderatum ante cibum, alio inanita. A cibo quiescat. Aluus sit mollis & lubrica. A Venere, quantum fieri potest, absteat. Nihil enim est perniciosius. Alacri tandem animo viuat.

## CONSILIUM IX.

PRO MAGNO LEGATO REGIS GALLIARVM,

*In principio Vertiginis.*

**A**FFECTVS, quo maxime turbatur vir Illustrissimus, nihil aliud est, *Affectus.* quam præludium quoddam vertiginis, à quo, si fieri possit, liberari summopere cupit: sin minus, à grauiori malo imminente saltem præseruari. Quod vt Ill. Patiens consequi possit, pro viribus studendum est, ne vapores, qui ex partibus infernis sursum in caput feruntur, ita cerebri ventriculos oblædant, vt hoc vertiginis vestigium subsequatur. Hoc au- *Causa.* tem præstabimus, si materia pituitosa, quæ in ventriculo aceruatur, ita præparabitur, vt facile educi possit, & vapores, qui non tantum ex ipsa

D

mate-